



# Guiana sive Amazonum regio.

<https://hdl.handle.net/1874/430098>



G V I A N A.

zones, incipit ficcior anni tempestas in Augusto: at tempestuosa, ac pluviosa, (hæc hyems ipsis) in Februarii. Verum in Occidentalibus partibus versus Oronoque, sicca illa tempestas (æstas illic est) in Octobri: altera vero ventis pluviisque horridior, in Aprili. Exigua hyemis ac æstatis calor frigidisque hic discrimina observes, ob viciniam Æquinoctialis, dies noctesque pene æquales. Alia hic est temporum, quam in nostro orbe supputatio, Lunas solummodo numerant, puta, 1, 2, 3, &c. Lunationes, & Dies; verum denarium non excedunt, ad quem ubi pervenerint, redeunt ad 1: quoties vero viginti numerare volunt, digitos decem pedibus applicant. Quoties se quid intra certum dierum numerum facturos promittunt, fasciculum totidem bacillorum alteri tradunt, & ut de fide constet, in singulos dies singulos bacillos auferunt. Nulla videntur religione teneri, præterquam quod Solem ac Lunam reverentius habeant, eos vivere arbitrati; non tamen eos aut adorant, aut sacrificia iis offerunt: nisi forte in conviviis suis ac Bacchanalibus superstitioni videri possint. Nam extincto *Casique*, Domino suo, aut in amicorum funeribus solenne festum celebrant, ac triduum quatrimumque genio indulgent, potando, saltando, canendo, quibus vitiis longe supra alios excellunt populos; illos quippe honoratissimos censent, qui se primi inebriaverint, dumque hi frontem exporrigunt, & pergracantur strenue, adstant amici ac propinqui hominis defuncti, plangentes, ejulantisque. An hæc ex superstitione ab ipsis gerantur, necne, incertum adhuc. Illud tamen in comperto est, sacerdotes ipsorum ariolosque, quos *Pedajos* vocant, certis temporibus cum Dæmone loqui, quem *Wattipa* appellat, à quo ludificantur, fallunturque: nec minus ipsum oderunt, metuuntque, statuantes illum malum esse ac noxium valde, cum sæpius in illos verberibus cruciatibusque sæviat. Indos probos, vitæque honestioris sursum in cælum transvehi post obitum credunt, quod ipsum cælum ipsis *Caupo* dicitur: improbos contra deorsum descendere ac terram subire, quam *Soy* vocant. Cum unus præfectorum suorum è vita excedit, servorum unum aut captivum trucidant, aut, si quidem his careat, alium aliquem è famulis, ut ipsius in alio orbe ministerio utatur.

Diversa est terræ qualitas. Versus littora depressa admodum est, summusque ibidem sentiretur calor, nisi hunc frangerent ac castigarent venti Orientales frigidiores, è mari flantes, quos *Brisen* dicunt, quique calidissima diei parte spirant. Paucos multis locis invenias indigenas, ob aeris insalubritatem, & frequentes horum locorum, ob humilem situm, inundationes. Alibi tamen, ubi ager editior est & fluminibus abundat, & viris frequentissima est, solo fertili, ac ad habitandum commodissimo. In ipsis montibus aer frigidior est, nec minus fecunda tellus, licet non ubique, dives fodinis metallicis varii generis.

Fructus terræ ad vitam necessarii multiformes sunt: primum *Cassavi*, unde panem conficiunt hoc modo: ipsam radicem in lapide contundunt, succum exprimunt, qui crudus ac incoctus venenatum quid habet, verum elix ac coctus unà cum pipere optimi condimenti vice est. Mox contusam radicem exsiccat in lapide, & indurant, uti avenaceis fit libis. Panis hic laudabilis est, nec ab similibus valde, nisi quod hic melior sit libis jam dictis. Species hic tritici in usu est, quod *Mayzum* ipsis, singularis in his regionibus proventus, quod multiplici fenore femina reddit; ex cuius farina & panes pinunt probatos, & cerevisiam coquunt. Ex hoc, uti & *Cassavi*, potum sibi comparant, *Pasiasu*, qui non nisi quatuor aut quinque dierum moram fert. Etiam alium potum ex *Cassavi* elaborant, *Parranosu* dictum, virtute non inferior cerevisia Anglicana; quæ mense Martio coquitur. Mira hic & stupenda mellis copia, quod licet agreste sit, bonitate tamen alia omnia, quæ ullibi terrarum colliguntur, superat. Hoc ipsum, uti & cera lucroso mercatu distrahitur. Vineta non habet, non sua, sed hominum culpa: pinguis quippe glebæ sunt agri, clima ipsum calidum valde, ut optima vina Hispanica præbere possit.

Plura insuper humanæ vitæ necessaria, ac nutrimenti optimi gignit: feras omnium fere generum; apros porcosque sylvestres, eosque duorum generum; alii quippe umbilicum in dorso sursum habent, alii Anglorum porcis similes; illos quantitate minores *Pockiero* vocant, hos *Panigo*. Leporum, cuniculorum, tygridum, lupardorum, armadillarum affatim hic est. *Maipuries* sapore sunt, qualis est bubulæ carnis, & saliri amant. *Baremoes* sapore, qualis est carni vervecinæ. Aves hic reperias non unius generis; anates, anseres, ardeas, grues, phasianos, perdices, columbas, turdos, merulas, scolopaces, psittacos difformes, aliasque volucres plumis versicoloribus pictas, uti & alia avium unguibus rostrisque ferocium genera. Præter pisces huic quoque orbi notos alium habet rariorem, cui nomen *Cassoorva*, qui in oculis duplici visu est præditus, quique natans alterum oculorum sub aquis, alterum supra habet; dorsum illi costæque ab humanis non multum abeuntes.

Fructus arborei varii quoque, *Pina*, *Platana*, *Potato*. *Pina* sapore refert fraga nostra, quoties vinum ipsis saccharo mixto adfusum est. *Platana* sapore mala petilia refert. *Potato* notissimum nostris. Pruna copiosius sumta diarrhæam causant, his regionibus periculosam. Nuces probantur, sed modicæ.

At præstantissimum hujus tractus donum sunt arundines sacchariferæ, quarum magna hic copia, nec ullibi meliores, quæ brevissimo tempore assurgunt, extollunturque. Quod si eo, quo in

Fructus terræ.

Animalia.

Aves.

Pisces.

Mercimonia.

G V I A N A,  
five regio  
A M A Z O N V M.



N hujus tractus descriptione occurrunt describenda, fluvius ipse Amazonum, provinciæque ad Orientem sitæ, deinde quæ inter hunc & Oronoque fluvium interjacent, denique ipse fluvius Oronoque. Maximum, accolisq; *Fluvius Amazonum*, potentissimum flumen Hispanis vocatur de *S. Ivan de las Amazonas*, aliis *Tobo*, *Topoi*, *Tapera*, primum detectum à *Francisco Orellana* Hispano, an. 1541. Postea etiam à nostratibus Belgis lustratum. Ostium illi patentissimum, ut quidam ajunt, 50, ut alii, 60 leucarum, per quod tanta rapiditate aquas suas in mare evomit, ut longius à littore, miliarium aliquot intervallo aquæ dulces deprehendantur, maxime quo tempore crebriores pluviae, aquis delapsis è montibus, flumen intumescere faciunt, à Martio puta Septembrem usque. M<sup>r</sup>. Harcourt in sua, quam edidit, Guajanæ detectione, refert, se in ipsum alveum fluminis incidisse, & 30 ab ostio leucis dulces aquas percepisse. Promontorium occidentale situm altitudine grad. 2 cis Æquatorem, *C. de Noord* vocatur. Accuratissima, quam in hunc usque diem habere licuit tabella, est ea, quæ *Sapenu* constituit 50 minut. cis Æquinoctialem, & è regione ejus versus Orientem insulam *Coarien*: & ad latus Occidentale fluminis, supra *Sapenu* fluviolum, ubi *Arrowsas*, & versus Austrum *Paricores*, loca Barbarorum: & ex opposito versus Ortum insulam *Arrowsen*: porro ad idem latus Occidentale pene sub linea pagum *Matarem*, & interius *Roakery* & *Anacarprock*, ex adverso insulam *Sapanopock*; & *Matianam*, sub linea; ultra vero eandem dimidio pene gradu insulam & pagum *Corropokery*. Altius ad brachium fluminis aliud loca hæc notat: *Aropoya*, *Corpopy*, *Capitan*, quæ nostra vocat *Wayecorpap*, *Manetibi*, *Corpopy*, ulterius *Matorion*, *Huaman*, Indorum habitationes. Belgæ nostri, qui aliquot retro annis hunc adiverunt, duas arces flumini imposuere, quarum alteram *Nassau* in insula *Coyminne* extruxerunt, alteram *Oragnien*, vocant longius à mari recedentem. Aeris constitutio optima *Regionis indolis*, solum indolis variæ pro locorum situ. Vbere rerum multarum proventu gaudet, præcipue annona ac commeatu, quem abunde indigenæ nostris suppeditant, ac mercibus viliioribus permutant. Mansueti satis sunt accolæ, de genere Indorum, quos *Yaos* vocant. Ligna fert, quorum usus maximus, tincturæ species varias, gummi, gossypium, tabacum: etiam saccharum habet & *Pitam* herbam, quæ ipsis pro canabi est, unde retia sua & funes conficiunt. Arborum & terrestrium fructuum copia luxuriat. Mineralia quoque, lapidesque preciosos sufficit, plurimasque mercatui idoneas merces.

In ipso fluminis ostio Insula jacet, quam nostri *I. Conynen* vocant, altit. grad. 2, & 45 minut. Triginta hinc miliaribus versus Occidentem occurrit *Crabbepoere*, uti nominant nostrates, ut alii, *Carripopoori*, insulæ sunt complures. Hinc porro Occid. versus usque ad sinum fluviumque *Wiapoco*, diversa occurrunt flumina. *Harcourtius*, cujus supra mentionem feci, hoc locorum intervallo ponit, *Arrapoco*, *Arrowsary*, *Micary*, *Conasviny*, & *Cassipurogh*; aut uti alii aliis vocant nominibus, *Arrowsary*, *Isaripoco*, *Maipari*, *Coanasvini*, *Cassipurogh*. Nostri fluvium *Arikari* constituunt alt. grad. 2. Fluvius *Wiapoco* situs est pene in altitud. grad. 4 ad Boream, altus in ipso aditu orgujas duas. Insulis plurimis conspersus est. Barbari è gente sunt de *Yayos* sive *Capayos*, licet aliis placeat illos esse de gente *Arwaccas*. Populus est humanus, & in externos hospitalis, pro Barbarorum moribus modestus satis placidusque. Sine vestibus incedunt, quas tamen videntur non repudiaturi, siquidem earum ipsis fieret copia. Pisces mirabili invento capiunt, conjecto in aquas ligno odorifero, quod *Ayayay* appellant, cujus vi ita turbantur, percellunturque, ut pene exanimati manibus capiantur. Panis ipsorum *Cassavi* est, qui etiam pro potu ipsis inservit, quoties ipsum mandunt, uti Brasilienses. Ab animalculo, pulicis instar, misere infestantur, *Niguas* illi nomen, quod ipsum in ipsis unguium carnisque juncturis se ingerit, maximisque doloribus illos lacinat, torquetque. Aer ad mare insalubris habetur, dissentientibus pluribus, qui salubrem clementemque esse experti affirmant. Fluvius ob præcipientes rapidosque aquarum defluxus difficulter conscendi potest, nec nisi mense Augusto. Ad boreale latus fluminis mons jacet *Gome-ribo*, ad cuius pedem felicissime crescere videas tabacum, mayzum, gossypium, arbores *Annoto*, vites, aliaque. Altius Occidentem versus occurrunt flumina *Apurwaka*, *Courswo*, & *Wia*, mox *Cajana*, *Cawora*, *Manamanary*, & ex opposito insulæ *Erepice*, hinc fluvius *Sinamary*, *Cumanama*, *Iuraca*, *Marawary*, *Marawyny*, *Curetyni*, aliique in tabula notati, ad usque ipsum Oronoque. Verum his omiffis *Populi mores*, libet plenius loci genium, populorumque mores exponere, idque ex Harcourtio. Anni partes in hisce locis maritimis diversimode se habent. In partibus Orientalibus Gujanæ, versus Ama-

AMERICA.

H

zones,

